



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VIII. Quo pacto species concurrant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

SUBSECTIO TERTIA.

Corollaria ex dictis.

TERTIA CONCLUSIO. In quolibet puncto aëris sunt tres species distinctæ, quod sunt partes obiecti ad quas inde ducitur linea recta. Probatur ex dictis, quia ex quolibet puncto aëris non solum videtur vnum punctum coloris, sed omnia ad quæ ex illo linea recta deducitur. Neque hinc sequitur, plura accidentia solo numero distincta esse simul in eodem subiecto, non, inquam, sequitur, quia illæ species eum representant distincta obiecta, non sunt omnino similes, ut supra etiam tetigit; vel si sint, non tamen sunt origines.

QUARTA CONCLUSIO. Species intuitivæ intellectus, sunt etiam diuisibiles iuxta obiecti diuisibilitatem. Hæc probatur eisdem rationibus, quibus de speciebus externis proximè idem ostendimus, quia etiam intellectus est independens in cognitione vnius partis albedinis v.g. ab alterâ, item ex interiori parte cubiculi, v.g. videt intellectus pauciores partes celi quàm ex fenestrâ; ergo illa visio non est producta, neque mediata ex specie indiuisibili totius celi, v.g. videt intellectus sunt etiam diuisibiles iuxta obiecti diuisibilitatem. Tandem, etiam intellectus aspiciens longum murum, clariùs & intensius noscit albedinem sibi vicinam, quàm distantiorē; ergo habet distinctas partes speciei de illis distinctis obiectis: neque in nostrâ sententiâ, docente, rem spirituales posse esse diuisibiles, id habet difficultatem; vnde minùs consequenter loquuntur, qui eum admittant, res spirituales diuisibiles, negant species intellectuales intuitivas esse diuisibiles. Quæ dixi de speciebus, dicenda sunt de cognitione, scilicet illam esse diuisibilem pro diuisibilitate obiecti, quia experientia allata de independentia vnius partis obiecti ab alâ, & de clariori cognitione, per se primò desumuntur ex cognitione; ex hac autem arguimus ad species; ergo si species dicimus diuisibiles, debemus & cognitiones diuisibiles dicere.

VLTIMA CONCLUSIO. Species spirituales sunt indiuisibiles ex parte subiecti; id est, anima, quæ eas recipit, est indiuisibilis: materiales verò sunt diuisibiles; id est, recipiuntur in materiâ diuisibili. Hæc ex dictis ita est certa, ut probatione non indigeat.

SECTIO VIII.

Quo pacto species concurrant.

239 **Ex** Sectione 2. in quâ ostendi, potentiam cognoscitiuam ex se esse in actu primò incompletam ad cognitionem, eò quòd non contineat omnes illius formalitates vt eas possit exprimere, satis apertè infertur, speciem debere concurrere efficienter producendo formalitatem actus, quæ est representatio. Hoc suadetur vltimò, quia species non potest concurrere in genere causæ formalis; ergo efficienter. Probo Antecedens Primò, quia obiectum præsens non concurret in genere causæ formalis, vt quando v.g. sentio per tactum, iuxta dicta suprâ qualitates non existentes

in potentia, sed in re tacta; ergo species supplet obiecti concursum, non supplet concursum in genere causæ formalis; ergo neque concurret ad cognitionem in tali genere. Probatur Secundo idem Antecedens, quia species existente in potentia, datur eius concursus in genere causæ formalis, & tamen non datur tunc concursus speciei ad actum, quia non fit actus tunc (neque enim necessarium est, vt dum est species in potentia, semper fit actus) ergo quando existit actus, alium concursum habet species præter concursum in genere causæ formalis, ergo efficientem. Pater consequentia, quia materiale aut finale concursum non potest habere, vt per se patet; nec enim est subiectum cognitionis, nec finis mouens ad illam; pura autem conditio non potest esse ob rationem iam dictam de actuali eius existentia sine concursu; ergo solum remanet concursus efficiens, quem possit habere.

Forè dices Primò: Hoc argumentum nullum esse, nam infrâ nos docebimus, habitum in genere causæ formalis inclinando voluntatem concurrere, & tamen non ideo semper habitus actu inclinatur; ergo etiam si species in genere causæ formalis concurreret, non sequeretur eam actu semper inclinaturam. Respondeo, negando sequelam: nam vt habitus actu inclinet in obiectum ad amorem illius, debet ipsum obiectum actu cognosci, & ex defectu cognitionis prouenit vt actu non inclinet: at species, quæ ad cognitionem debet concurrere, non potest cognitione indigere, ideo semper deberet ad illam inclinare si in genere causæ formalis concurreret, nec apparet alia conditio à quâ posset pro ea inclinatione pendere.

Dices Secundo: Species datur ad determinandum; sed hoc fit in genere causæ formalis, ergo. Respondeo, à me suprâ ostensum, speciem non dari ad determinandum, sed ad complendam potentiam; ad hoc autem proculdubio debet concurrere efficienter. Imò hinc retorqueo argumentum: quando in intellectu v.g. dantur species de centum obiectis, ipse intellectus non est determinatus magis ad hoc obiectum, quàm ad illud ex illis centum, & tamen est completus ad illa obiecta; ergo species non determinauit intellectum per inhaesionem sui; ergo, quando in actu secundo determinat actu, aliquid aliud habet præter eam inhaerentiam, hoc autem non potest esse, nisi influxus efficiens in eam cognitionem.

Confirmo idem contra aliquos, qui dicunt, speciem solum dari ad terminandam visionem loco obiecti, quod dicunt fieri sine concursu efficienti; aliunde autem admittunt, non videri speciem, sed obiectum. Contra quos sic arguo: Id terminat visionem, quod videtur, terminare enim visionem, est esse terminum seu obiectum visionis; ergo species quæ non videntur, non concurrunt terminando; ergo debent concurrere efficiendo. Ratio à priori est, quia, vt sæpè dixi, obiectum ad terminandam visionem non requirit præsentiam; creaturæ enim antequam existant, terminant Dei visionem, & Angeli cognitio terminatur ad res ab isto distantes; ergo, si requiritur intima præsentia obiecti, aut specierum in nobis, ideo est, quia species aut obiectum concurrunt efficienter cum potentia.

Dices Secundo: Cognitio concurret ad amorem solum formaliter; ergo & species ad cognitionem.

tionem. Nego consequentiam, quia cognitio concurret illuminando potentiam, & illi representando obiectum: hoc autem præstat in genere causa formalis per unionem sui cum intellectu,

at species, quæ non est formalis & expressa obiecti imago & representatio, sed tantum virtualis, non potest per seipsam formaliter determinare, sed concurrente efficienter ad cognitionem.

DISPUTATIO QUINTA.

De Potentiis materialibus.

ERIMVS de potentiis in communi, & de speciebus quibus potentia cognoscitiua complentur; agendum nunc est de ipsis potentiis in particulari, & primò de imperfectioribus, scilicet de materialibus, ut ex illis ad altiora faciamus gradum.

SECTIO I.

Potentia materialis, quæ de facto datur, non potest cognoscere obiectum spirituale.

Primò possunt in præfenti in dubium reuocari: Primum, vtrum ab his potentiis materialibus, quæ de facto dantur, possit aliquid spirituale cognosci; Secundum, vtrum possibilis saltem sit aliqua potentia materialis, quæ possit obiectum spirituale cognoscere. De primo in hac Sectione, de secundo in sequenti.

PRIMA CONCLUSIO. Potentiæ materiales, quæ de facto existunt, non possunt naturaliter loquendo, obiectum spirituale cognoscere. Hæc est communis & certa, probaturque ipsa experientia: ² visus enim solum percipit lucem & colorem, auditus sonum, olfactus odorem, gustus saporem, tactus primas qualitates, duritiem & suauitatem, sensus autem internus hæc omnia cognoscit; atqui hæc sunt materialia, ergo potentiæ materiales, quæ de facto dantur, naturaliter solum percipiunt obiecta materialia. A priori autem vix potest reddi vlla ratio, nisi reuocare id in proprias earum potentialium naturas: licet enim possibilis sit aliqua potentia materialis cognoscitiua rei spiritualis (de quo Subsectione 2.) certum tamen est, posse plures esse solum cognoscitiuas rei materialis, imò non omnium rerum materialium, sed præcisè aliquarum, quæ enim in hoc potest esse difficultas? Hoc autem possibili supposito, ipsa experientia apertè ostendit, eas potentias materiales, quæ de facto dantur, esse è numero illarum quæ alligatæ sunt obiectis materialibus, & non omnibus, sed aliquibus, visum v. g. Soli, luci, & colori, auditum sono, &c.

SECUNDA CONCLUSIO. Ab his potentiis materialibus nec diuinitus potest obiectum spirituale cognosci. Hæc etiam est communis, non tamen facile suaderetur. Communis pro illa ratio ea est, quia potentia vitalis non potest extendi, etiam diuinitus, nisi ad obiectum in quo reperitur ratio formalis obiectiua propria talis potentiæ; sed potentiæ materiales, quæ de facto dantur, non reperiunt in obiecto spirituali suam rationem formalem obiectiuam, ergo non possunt nec diuinitus

cognoscere obiectum spirituale. Consequentia est bona: Maior probatur, quia potentia cognoscitiua, ut talis formaliter, est vitalis, & elicitur ab intrinseco, id est, cum connexionem saltem non mutua, quæ consistit in eo ut actus ipsi exigant eam potentiam; sed si in obiecto non reperitur ratio formalis propria illius potentiæ, nec potentia exigit actus de tali obiecto, ut per se patet: neque actus exigant potentiam; quia cum non respiciant obiectum in quo sit ratio formalis propria illius potentiæ, non est cur tales actus petant illam potentiam; ergo potentia cognoscitiua non potest ferri vitaliter, & consequenter nec cognoscere obiectum in quo non sit propria ratio formalis obiectiua ipsius. In obiecto autem spirituali non reperitur propriam rationem formalem potentialium materialium, quæ de facto dantur (quæ erat Minor supra positi argumenti) sic facile suaderetur, quia ratio formalis obiectiua propria visus est lux & color, auditus est sonus, &c. nihil autem horum esset illud obiectum spirituale, ergo in eo non daretur propria ratio obiectiua potentialium materialium de facto existentium, ergo ab illis nec diuinitus potest obiectum spirituale cognosci.

Non ideo multum huic rationi, Primò, quia, iuxta dicenda inferius, non est necessarium, ut potentia cognoscitiua operetur physice vitaliter: a cognitione enim per se infusa, dummodo potentia sit subiectum capax eius effectus, potest reddi cognoscens; ergo licet actus de obiecto spirituali non petant oriri à potentia materiali quæ de facto datur, adhuc possumus dicere, per eos actus talem potentiam reddi cognoscentem: quo satis sit probationi Maioris propositionis. Deinde contra illam sic arguo ex doctrinâ multorum ex aduersariis: Potentiæ visiva materialis Beatorum percipit lucem & splendorem supernaturalem in sua substantiâ; sed in hac luce non est ratio obiectiua propria visus, quia hæc est ratio coloris, & lucis naturalis, ergo iam potest potentia visiva diuinitus eleuari ad videndum obiectum, in quo non sit propria ratio obiectiua talis potentiæ.

Respondent illi, eum splendorem & lucem esse intra rationem obiectiuam supernaturalem potentiæ visivæ, ideoque posse ab ea potentia supernaturaliter videri. Sed contra, quia in hac solutione petitur principium: dicunt enim, illam lucem esse intra rationem obiectiuam supernaturalem potentiæ, quia supernaturaliter ab illa potest videri (nec enim adest aliud principium, unde id probari possit;) & rursus docent, eum colorem posse supernaturaliter videri, quia est intra rationem obiectiuam supernaturalem illius, quæ est manifesta petitio principij: quæ si tolerari potest, ego etiam dicam, obiectum spirituale esse intra rationem obiectiuam supernaturalem potentiæ visivæ.